

pirationem ejus possumus abjicere, et ei dissentiri, et Concilium Senonense, quod possumus auxilio resistere. Cæterum non contrariantur Concilia Scripturis, sed loquuntur in diverso sensu, ut jam superius satis expositum est: Scriptura enim loquitur secundum sensum compositum, et secundum potentiam consequentem, secundum quam nullo modo possunt resistere Dei voluntati. Concilia vero loquuntur secundum potentiam antecedentem, et in sensu diviso. At vero nunquam debet concedi quod possumus frustrari efficaciam Dei, et disparitatis ratio est in diversa significatione illius termini frustrari et resistere, nam ex parte frustrationis nullus locus invenitur sensui diviso, sed totum tenet se ex parte sensus compositi, quia frustratio cum sit absoluta evacuatio ipsius efficaciam divinam, posita in re oportet quod cum positione, seu suppositione efficaciam componat liberum arbitrium oppositum, faciens, et faciendo vincens efficaciam illam, alias frustratio non erit. Resistentia autem potest admittere sensum divisum, quia resistentia nondum importat totalem victoriam, et expugnationem rei, sicut frustratio, sed conatum. Potest ergo ex hac parte admittere respectum potentiam resistentis, seu conantis in oppositum, quantum est ex meritis ipsius objecti, et actus ad quem Deus movet, non autem ex parte immutabilitatis, et modi quo Deus movet, non solum ut velit, sed ut libere velit. Et quoad totum hoc conjunctim et compositum non est resistentia, et sic Scriptura loquitur. Ex parte autem potentiam antecedentem sumptam, et ex parte actus, et objecti ad quod Deus movet, bene stat resistentia, et dissensus in sensu diviso, et sic loquuntur Concilia.

ARGUMENTA CONTRA EFFICACIAM DECRETI EX DEFECTU SUFFICIENTIS AUXILII.

LVI. Et hoc capite fit instantia contra efficaciam decreti divini, quia si ex sua natura antecedenter ad nostrum consensum datur efficacia, ideo est quia ille requiritur ad hoc ut voluntas de facto operetur, et sine illa non est potentia applicata, aut completa, et determinata ut eliciat actum: ergo si Deus deneget illud auxilium efficax, negat aliquid requisitum ad operandum, et sine quo non potest operari in actu potentia; et sic non habet sufficiens auxilium sine illo ad operandum, quia deest aliquid requisitum essentialiter ad operationem, quod non ad ipsam consequitur, sed antecedit, et non est in manu ejus ut ponatur.

Et urgetur hoc quia ponamus quod præcipiat Deus alicui ut aliquem actum faciat, puta credere, vel amare, aut eleemosynam largiri, et det illi omnia alia requisita ad operandum præter istam efficaciam decreti, qua operetur homo id quod ex parte ejus se tenet, scilicet ex parte determinationis suæ, et consensus, talis obligatur ad aliquid impossibile: ergo non tenetur.

Minor probatur. Actus meus sine illa antecedenti efficacia est quoddam impossibile ut nos ipsi supponimus, et docemus loquendo in sensu composito, sed præcipitur ei facere in re, et de facto, etiam non habendo de facto talem efficaciam: ergo præcipitur aliquid impossibile in sensu composito, sicut si alicui habenti potentiam visivam, sed in tenebris præciperetur ut videret, aut non habenti concursum generalem ad ambulandum, præciperetur ut ambularet, tunc excusaretur a

præceptis illis: ergo similiter si alicui non datur illa efficacia antecedens, excusatur a præcepto, quia redditur sibi impossibile illud opus, ut in re, et de facto.

Communis solutio ad hoc argumentum esse solet, quod illa efficacia divinam voluntatis requiritur non ex parte potestatis, seu potentiam, et virtutis ad operandum, sed ex parte applicationis, sine ista tamen applicatione de facto, et in sensu composito nunquam homo operabitur: et licet illam habere non sit in sua potestate, sed detur a Deo, tamen quia ea simpliciter possumus, quæ per amicos possumus, et illam possumus habere per Deum, simpliciter dicimus posse, quia Deus ex se paratus est illam dare. Quod si de facto non dat, nihilominus imputatur nobis, quia ex culpa nostra est quod non detur; ponimus enim impedimentum Deo.

LVII. Sed contra hanc solutionem instatur. Et primo, quod illa efficacia ponatur ex parte virtutis vel applicationis, parum interest: sufficit enim quod sit aliquid ita requisitum ad operandum, ut sine illo operatio nunquam possit poni de facto, et in re, et quod non proveniat ex nobis, sed ex alia potestate: sic enim sublato illo requisito, remanet voluntas sine omnibus necessariis ad operandum: ergo remanet non potens, sive hoc sit defectu potentiam, sive defectu applicationis, sicut ignis hic existens simpliciter non potest Romæ comburere, et homo hic existens non potest Romæ audire missam, nec id potest ibi præcipi. Undecumque ergo sit defectus rei necessariæ ad operandum, simpliciter non potest. Quod vero dicitur nos posse quæ possumus per alios, id est, per amicos, id enim videtur pertinere ad posse moraliter: tamen si amicus de facto nolit dare tale requisitum, simpliciter non poterimus

facere, quia tunc nostrum posse est dependens a voluntate alterius. Unde si de facto non det, de facto non imputabitur mihi: hoc enim habet hæc potentia moralis, qua dicimus posse per alios quod cum sit potentia dependens a voluntate alterius, quotiescumque alter non vult, iste excusatur, quia remanet sine potestate solum ex defectu voluntatis alterius. Excusabitur ergo homo ab impletione præceptorum, quotiescumque Deus non vult illi dare auxilium efficax; si autem dat de facto, implet de facto præceptum: ergo nunquam est locus quod istie peccet, quia vel implet si habet illud auxilium, vel excusatur si sibi non datur. Quod denique dicitur denegari nobis ob culpam, et sic imputari nobis, si non detur illud auxilium, contra est, quia non semper præcedit in nobis culpa, ut denegetur illa efficacia, ut patet de ipsa prima culpa quam homo vel Angelus committit: ad illam enim non præcedit alia culpa, et tamen denegatur a Deo auxilium efficax, quia si daretur, non peccaret: ergo tunc non imputabitur, et consequenter in tali casu non erit peccatum, atque adeo neque sequens denegatio erit ex culpa, si id quod præcedit, culpa non est.

Respondetur de hoc argumento, ejusque solutionibus, et replicis, satis superque nos egisse in præcedenti tomo, disput. xx, artic. v, ad quem locum remittimus lectorem. In summa respondemus, quod ista efficacia, et applicatio antecedens si deficeret in totum, et suspenderetur a Deo, sine dubio aliquid necessarium deesset ad operandum, et non imputaretur homini si non operaretur. Cæterum si deest efficacia pro ista operatione, datur tamen pro alia, non deest quidquam ad operandum, et imputatur isti quod non operetur illud bonum, quia redditur

volens non operari istud, hoc ipso quod voluntarie se abstinere ab illo, et ad aliud divertit. Cum enim voluntas nostra non sit potentia restricta, et determinata ad unum, sed potens ad multa, et contingens erga illa, natura ejus non postulat ut sibi semper detur determinans concursus ad unam speciem actus, vel ad unam partem, sed ad quaecumque partem habeat, dicitur ad illam voluntarie inclinari, et se determinare, et voluntarie etiam relinquere oppositum: hoc enim operatur ille concursus ut voluntarie velit id ad quod datur, et si datur ad entitatem actus cum permissione ad aliquod peccatum, ex illa permissione sequitur quod voluntarie velit cum defectu. Nunquam ergo datur concursus ad unum, et negatur ad aliud, nisi cum voluntaria inclinatione ad unum et recessu ab alio. Et sic nunquam deest requisitum ad aliquid faciendum, et operandum simpliciter. Quod autem desit aliquando ad operandum hoc, v. g. ad consensum in amorem, est quia voluntarie voluntas aliud vult, et non potest duo opposita simul velle, licet illud ipsum oppositum ex efficacia Dei dependeat, et influxu etiam ad hoc ut voluntarium sit, sic tamen est a Deo, quod ipsa voluntas creata vere et proprie dicitur voluntarie ad aliud applicari, applicatione tamen creata, et consequenter causata et orta a Creatore quoad totum entitativum quod habet.

LVIII. Sic ergo in forma, fatemur illam efficaciam, et applicationem antecedentem esse aliquid requisitum ad operandum per modum ultimæ determinationis et applicationis, non per modum virtutis, et potentiae. Fatemur etiam non esse illam efficaciam in mea potestate, quasi derivatam et ortam a me, et ut effectum meum, sed ut causam meæ potestatis, et libertatis in ac-

tualiter operari. Cum autem inferatur: Ergo sine illa efficacia non habeo principia aut requisita sufficientia ad operandum, distinguo; quantum ad sufficientiam virtutis, et potentiae, nego; quantum ad actualem applicationem respectu hujus actus determinate, transeat. Vel, ut verbis D. Thomæ utamur, quæst. 1 de potentia, art. v ad primum, quando dicitur quod aliquis non potest facere sine hoc, ly non potest, vel refertur ad potentiam, vel ad actum, scilicet ad facere. Si ad potentiam, est sensus quod sine illo non datur potentia in agente. Si ad actum, est sensus, quod sine illo potentia non operabitur in actu, sicut cum dicitur: Deus non potest facere nisi quod præscit se facturum, ly non potest, non dicit defectum potentiae, sed requisiti ad actum; sacerdos non potest consecrare sine pane, ly non potest, non refertur ad potentiam characteris, sed ad actum, ex parte alicujus requisiti. Sic sine efficacia decreti non potest homo ex parte actus, licet possit ex parte potentiae. Et cum rursus inferatur: Quia sine illo non possum de facto operari, saltem tamquam sine requisito, aut applicatione, sicut ignis sine applicatione non potest comburere, distinguo; sine illo tamquam sine requisito, et applicatione inadæquata potentiae, concedo; tamquam sine applicatione adæquata potentiae, et suspensiva totaliter illius, nego. Est applicatio inadæquata, illa quæ est quoad hunc actum determinatum adæquata, quæ est quoad omnes. Est autem differentia in hoc quod est deesse applicationem quoad omnes actus, vel quoad aliquem in particulari, quod applicatio quoad omnes, nullo modo est in manu mea, nec oritur ex ipsa mea voluntate, et sic, si tollitur talis applicatio, tollitur omnino ex causa extrinseca, et est deficientia antecedens actum vo-

luntatis, non consequens, quia non datur tunc aliquis actus, ratione cuius tollatur illa applicatio. Applicatio autem inadæquata est quoad aliquem actum in particulari, qui cum voluntarie sit elicited, et ad hoc ipsa applicatio operetur ut voluntarie sit, voluntarie etiam impedit ne detur alia applicatio et actus. Et sic deficit mihi applicatio ad priorem actum deficientia consequente aliquem actum voluntarium, quæ simpliciter est deficientia voluntaria, ideoque est in manu mea, et sic non deficit mihi simpliciter aliquod requisitum etiam ad illum primum actum, nisi quia volo.

LIX. Sed dices: Prius est dari applicationem ad hunc secundum actum, quam sequi ipsum actum, et hoc ipso quod datur applicatio ad hunc actum, denegatur applicatio ad alium: ergo hæc deficientia non est consequens actum voluntarium meum, sed antecedens, et consequenter non est in manu mea, sed solum in manu Dei, qui antecedenter ad omnem actum negat efficaciam applicationem ad istum, et dat ad illum.

Respondetur quod applicatio ad actum est prior ipso actu prioritate causalitatis, et naturæ, non tamen denegatur applicatio ad oppositum actum ratione ipsiusmet applicationis, sed ratione actus ex illa consecuti, eo quod duæ applicationes ad oppositos actus non sunt impossibiles ratione sui, sed ratione suorum actuum, qui ex illis sequuntur, sicut diversi motus ratione terminorum ad quos sunt: constat enim quod si ex illo auxilio efficaci seu applicativo ad opus, posset non sequi actus, non esset impossibilis cum alio efficaci auxilio, seu cum alia applicatione ad oppositum actum, solum enim dicitur impossibilitatem cum eo, per quod frustraretur auxilium; frustraretur au-

tem per actum oppositum, non per auxilium ad oppositum formaliter loquendo. Ratione ergo actus voluntarii secuti formaliter denegatur. Et præterea, licet auxilium datum ad unam partem sit prius in genere causæ efficientis ipso actu, tamen ipse actus est prior in genere causæ materialis dispositivæ ad expellendum oppositum actum, et consequenter auxilium ad illum, sicut corruptio unius formæ est prior generatione alterius in genere causæ materialis, et sic ratione voluntarii actus oppositi denegatur auxilium.

LX. Ad alias replicas factas in argumento, respondetur. Ad illam, de his quæ per amicos possumus, dicitur, omnino nos nihil posse nisi per Deum: *Omnia*, inquit Apostolus, *possum in eo qui me confortat*: et Isaias: *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*. Non ergo infeliciter possumus, si per Deum possumus, qui utique non se habet ut amicus omnino extraneus, sed ut principium et causa omnium quæ in nobis sunt, vel a nobis fiunt. Quod si Deus noluerit dare auxilium efficax, iste non manebit potens, distinguo; si noluerit dare absolute et ex se tollendo illud, concedo; si non dederit ex aliquo impedimento voluntario, puta ex eo quod voluntarie homo occupatur circa alium, et habet applicationem quoad illum, nego; tunc enim Deus non denegat auxilium illud efficax, nisi propter impedimentum voluntarium ipsius hominis, ad quod quidem Deus dat etiam applicationem, et influxum, sed ipse homo voluntarie acceptat, et sic ponit voluntarium impedimentum, quia illa applicatio Dei non facit ipsum velle coacte, sed voluntarie, et ita ipse voluntarie impedimentum præstat opposito actui, quia vere habet voluntarie alium actum impossibilem cum illo, licet

illum non habeat, nisi etiam ex influxu, et causalitate Dei, sed quæ voluntarium reddat hominem circa talem actum impeditivum alterius, non invitum. Unde imputatur sibi si operetur contra præceptum, etiamsi non habeat auxilium efficax ad illud, quia non habere, est ex impedimento quod voluntarie præstat occupando se circa aliud voluntarie, et reddendo se impossibilem, et repugnantem illi auxilio efficaci, quatenus exercet actum voluntarium, aut omissionem voluntariam, non pertinentem ad tale auxilium efficax, sed illi impossibilem.

LXI. Ad illam autem instantiam, quod non denegatur nobis in culpam illud auxilium, cum saltem ipsa prima culpa ex denegatione auxilii comitatur, et illa denegatio non supponat priorem culpam, respondimus citato loco tomæ præcedentis, non præcedere culpam, sed saltem comitari, et in aliquo genere causæ, saltem materialis etiam præcedere, quod sufficit ut dicatur homo impedimentum voluntarium ponere Deo, etiam respectu primæ denegationis auxilii efficaci: nam revera quando denegatur homini auxilium efficax ex parte ipsius hominis, datur peccatum, vel inconsideratio, et utrumque voluntarium est, et sic voluntarium impedimentum concomitanter habet. Quod vero etiam in aliquo genere causæ antecedat patet, quia ad quodcumque peccatum et requiritur permissio ex parte Dei, et sequitur ex parte hominis defectus, seu lapsus ex defectibilitate propria, qua ruit in nihil, et in defectum, sicut ex absentia solis aer ex propria natura fit tenebrosus. Et quando dicitur nostrum defectum in genere causæ dispositivæ et materialis præcedere ipsam denegationem auxilii, non intelligitur præcedere per modum dispo-

sitionis antecedentis, sicut dispositiones remotæ præcedunt formam, v. g. calor, vel siccitas ignem, sed eo modo quo ipsa corruptio unius formæ, et generatio alterius se ad invicem præcedunt: est enim corruptio velut dispositio præcedens introductionem formæ, ut ostendimus libro I de generatione, quæst. I et II, quia non nisi subjecto carente forma, opposita introducitur, licet in genere formali, seu effectivo generatio sit prior, et ad eam sequitur corruptio. Sic denegatio auxilii, non nisi in subjecto deficiente est, non ante deficientiam, et tamen defectus sequitur ad negationem auxilii. In eo ergo priori causæ materialis et dispositive, defectus qui comitatur negationem auxilii, est causæ, et ratio quare Deus nos deserat, quia videlicet voluntarium impedimentum ponimus, concomitans ipsam derelictionem Dei, sicut introductio unius formæ est causa, et impedimentum ne altera forma sit, et corruptio unius conduit, et disponit ut altera introducat. Itaque semper datur aliqua culpa vel concomitans, vel antecedens, et illa quæ est concomitans in quodam priori naturæ, præcedit, eo modo quo una forma impossibilis et exclusiva alterius illam præcedit, verificatur enim quod in illo instanti, quo Deus denegat auxilium efficax, habet voluntas impedimentum voluntarium talis auxilii, quia voluntarie exercetur circa alium actum (licet hoc ipsum sine alio influxu Dei non sit) qui impossibilis est cum auxilio denegato, et ideo semper sibi deest auxilium propter propriam voluntatem ad oppositum, etiam in prima auxilii denegatione.

LXII. Et quod ista sit mens D. Thomæ in solutione hujus argumenti constat. Nam super epistolam ad Hebr. cap. XII, lect. III, explicans illud: *Contemplantes ne quis desit*

*gratiæ Dei*, dicit S. Thomas: « Gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum est in se, se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis. Sed contra, quia si gratia non datur ex operibus, sed tamen ex hoc quod aliquis non potuit obstaculum: ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, et non ex electione Dei, quod est error Pelagii. Respondet: Dicendum est, quod hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat, et tamen moveatur eor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam, Galat. I. Dum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit me per gratiam suam. Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei, quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus. » Sentit ergo S. Thomas quod remotio obstaculi est ex gratia Dei, non quidem gratum faciente, sed auxiliante. Non removeri autem istud obstaculum, seu non dari istam gratiam removens (quod idem est) est ex justitia. Et consequenter supponit aliquid in nobis ratione cujus denegetur, quod in prima negatione gratiæ non potest esse ex aliqua justitia pro culpa prius tempore præcedenti, sed solum prius natura. Item idem D. Thomas III contra gentil. cap. CLIX, ponens simile argumentum, imo idem quod hic ponitur, et magnificatur: dicit enim quod: « Cum in finem ultimum aliquis dirigi non possit sine auxilio gratiæ, sine qua etiam non potest habere fidem, spem, dilectionem, etc. potest alicui videri quod non sit homini imputandum, si prædictis careat, præcipue cum divinæ gratiæ auxilium mereri non possit, nec ad Deum converti, nisi Deus eum con-

vertat; nulli enim imputatur quod ab alio dependet. » Ecce argumentum ipsum quod modo proponitur. Respondet autem quod: « Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec advocare possit, potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat, dicitur enim de quibusdam Job. XXI: Dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus: et Job XXIV: Ipsi fuerunt rebelles luminis; et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni: Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri: sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur. » Ubi loquitur D. Thomas de impedimento quod præstat ipsi gratiæ prævenienti, sicut lumen solis debet prævenire potentiam visivam ut videat, et quia auxilium, de quo loquitur, non potest ab aliquo promereri, vel advocari; loquitur ergo de auxilio præveniente, cui si impedimentum præstat, solum est concomitans, licet in aliquo priori naturæ antecedat. Et ne aliquis dicat S. Thomam loqui non de prima denegatione auxilii quam nulla culpa præcedit, sed de aliis quæ post peccatum aliquod subsequuntur, advertat, tum quod D. Thomas loquitur universaliter, et ejus argumentum etiam primam denegationem auxilii comprehendit: « Quia non est, inquit, homini imputandum, si præmissis careat; nulli enim imputatur quod ab alio dependet; » quod argumentum etiam currit respectu